



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 91. Santandreani adversus Administratricem eos reprimere intentam  
sæve tumultuantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

§. XCI.

Sæcul. XVI.

A. C. 1559.

*Santandreani adversus Administratricem eos reprimere intentam sæve tumultuantes.*

**P**aULO post Santandreani cives, nec non Cuprenses, aliarumque urbium incolæ, cum sese Protestantium sectæ adjicerent, impotentibus furiis debacchari cœperant; quippe spoliatis Catholicorum Ecclesiis etiam Franciscanorum, & Dominicanorum Cœnobia demoliuntur in ipsius Archiepiscopi conspectu, qui licet aliquo equitum numero succinctus esset, cum vero vulgi studium, ac concursum cerneret, minime mutire ausus, ad suos in Falcolandiam se contulit.

Lestus l. 10.

Buchan. hist.

Scot. l. 16.

Ut ergo Administratrix hisce tumultibus obicem poneret, duo Gallorum millia, ac mille Scotos contraxit, hujusque agminis imperium Jacobo Hamiltonio tum Castri Heraldici Duci passim dicto tradidit, qui tamen Protestantes, cum eorum copias numero longe superiores, quam re ipsa erant, existimaret, aggredi minime ausus est: quapropter Administratrix, quæ tum Falcolandiæ agebat, seditiosos novis conditionibus distinere tamdiu satagebat, donec recenti militia firmaretur. Equidem media via a Jacobo Stuartho inventa est,

*Hist. Eccles. Tom. XLIII.*

M

vi

Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.

vi cujus Perthum urbem deducto inde præsidio liberam relinqueret Administratrix: cum vero hæc propositio Administratrici nequiquam probaretur, Protestantes Perthum recta contendunt, atque oppidum interjectis paucis diebus occupant: inde vero Sconam, Sterlinum, Limnuchum, seu Lithquum copias suas ducunt, ibidemque Mendicantium cœnobiiis solo æquatis, cultuque divino mox immutato passim novæ Reformationis Ministros constituunt; quapropter Administratrix unacum Ofellio, qui Gallorum copiis præerat, Dumbarum recedere cogebatur.

§. XCII.

*Administratrix armorum suppetias a Galliarum Rege postulans.*

**R**ebus ita constitutis Administratrix Galliarum Regem convenerat, eidem clandestina Jacobi Stuarti consilia detegens; hic enim, quamvis nonnisi spurcius Jacobi V. Filius esset, regni tamen coronam Delphino, ac Reginæ ejus Conjugi eripere, eamque sibi vindicare unice intentus erat. Hujus Principis audaciam Guisii coram Rege pluribus exaggerabant, eidem exponentes, quod Stuartus nonnisi Religionis obtentu fretus hoc ipso suam usurpationem honestare, ac interea ad tuenda ambitiosæ  
indo-